



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Inventio S. Crucis. 3. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

20) 218. 602
jecta tibi crimina commiseris. Si factorum premaris conscientia, veniam pete a Deo. Dole, non quod acculeris, sed quod aliquid commiseris accusatione dignum. Deo gratias age, quod ope inimici tui vitium cognoveris, cuius ignorantia morte animæ illatura erat.

3. Si falso accusaris, si propter bonam aliquam actionem vexeris; & lætari, & grates Deo referre debes, quod patiaris propter justitiam: Ne sis admodum sollicitus de objecto crimine: serius, ocius illud diluet Deus. In persecutionibus tuis memento, quod sæpe filios patrum familias per nequissimos servos emendari jubet, cum illis hereditatē, hīs corpore pedes præparet. Aug.

INVENTIO S. CRUCIS.

3. Maii.

*Qui non accipit Crucem suam, &
sequitur me, non est me dignus.*

Matth. 10.

GAudent alii crucem, quam cœlum
mittit, missam amittere; at amissam
olim Christi crucem invenisse hodie se gau-
det Helena & triumphat. Rei gestæ ordinem
hîc habes. Latebat crux terrâ, plus odiis
Judæorum

Judæorum sepulcra. At Helena, cum primum
 filius Constantinus Maxentium debellavit,
 Crucis sanctissimæ auspiciis; quò grata fo-
 ret, omni ingenio viribusque eruere defos-
 sam, orbique adorandam proponere conten-
 dit, tunc demùm credens thesaurum se re-
 perturam, sive Crucem. Ita locus à supersti-
 tione primum purgatur; & infame Veneris
 stabulum statuaque dejicitur: mox humus
 altè egeritur: tandem tergeminae Cruces
 parent, & ponè titulus Crucis refixus. In ip-
 sissimas auri venas offendisse Helenam cre-
 didisses. Minuebat tamen lætitiã publi-
 cam illud, quòd, quanam ex tribus Serva-
 toris Crux foret, sic nondum constaret. Sed
 opportunum consilium Macarius urbis Epi-
 scopus suggestit, jussitque ordine singulas mo-
 nenti tunc fortè mulieri imponi. Pergebat
 illa ad primæ contractum mori, itemque ad
 secundæ, ad tertie denique incolumis revixit.
 Huic Helena templum struere dignum ma-
 gnificentia suã, Crucemque, hoc est aurum,
 argento includere, partem quoque unã cum
 aulario (clavis ejusdem) ad Filium Imp.
 transmittere, regium utique donum. Agno-
 vit ille signa victoriarum suarum & summè
 veneratus toto imperio edixit, ne qua res

sera salutis foret omnibus, posthac impro-
borum foret supplicium. Clavorum altero
diadematis frontem, altero franos Impera-
torios ornavit, certus majores nobilioresq;
uniones neque Indiam posse submittere.

Ex Brev.

M E D I T A T I O

De triplici genere hominum,
qui inveniunt Crucem.

1. **P**lures non quærunt, sed fugiunt crucem, quos
tamen crux sequitur, & assequitur; in eo ge-
nere sunt peccatores voluptatibus dediti; illi enim
delicias, & felicitatem semper quærunt, sed nun-
quam inveniunt; unde hoc? ex eo sanè, quod,
qui Deum non quæserint, nunquam felices, con-
tenti erunt, sed cupiditatibus suis semper crucia-
buntur; quin etiam Deus ipse afflictiones immittet;
ut, cognitâ rerum creatarum miserâ, redeant ad
Creatorem. *Nemo probro suo potest esse felix, quia, ubi
non est vera honestas, non est vera felicitas.* Salvianus.

2. Alii quærunt, & inveniunt crucem, illi nimi-
rum, qui incipiunt Christo servire, quorum cum
animus adhuc imbecillior sit, quàm, qui omnes la-
bores alacriter superet, affliguntur illi quidem, &
gemunt sub pondere. *O vos felices! si cœptum
crucis iter constanter teneatis.*

3. Viri sancti ardentem quærunt, nec inveniunt
crucem

crucem. **AMPLIUS**, ait **S. XAVERIUS**, **AMPLIUS**.
Sancta verò **Theresia**: **AUT PATI**, **AUT MORI**. Am-
bo tamen, ut **S. Paulus**, superabundant gaudio in
tribulatione, propter longū patiendi usum, propter
ardentiorē in Deum amorem, propter cœlestes
consolationes, quibus afficiuntur. *Dum beatam qua-
runt vitam, beatam agunt, & dum adhuc ambiunt,
iam consequuntur.* **Eucher.**

S. MONICA Vidua.

4. Maii.

*Filia Jerusalem, nolite flere super me,
sed super vos ipsas flete, & super
filios vestros. Luc. 23.*

HÆc est illa **MONICA**, quæ **Augustinum**
his genuit, orbi primū, deinde cœlo,
secundo, quàm primo partu felicior, dum
filio pietatem, alteram hominis animam,
quam cum lacte instillare non potuit, plo-
rando infudit. Hæresis **Manichæa** mortalissi-
ma humani generis peste perierat **Augusti-
nus**; Mater sic mortuo affundere lacrymas
non ante destitit, quàm **Episcopi** oraculo
recreata est spondentis, *Fieri non posse, ut filius
harum lacrymarum periret.* Vim nimirum facie-
bat